



**E**ckenbaldus ex tenuis fortunæ parentibus natus est. Is ob felicem indolem ab ineunte ætate bonis literis operam nauauit, atq; in Theologum sui temporis doctissimum euasit. Itaque cum Argentinensis Ecclesia suo pastore destitueretur, ipse in eius loci Episcopum electus fuit. Eckenbaldus ergo eum in honorem consecutus, de pristina in literis assiduitate nihil mutauit, uerum sese soluta & ligata oratione exercuit. Hinc factum ut & Ottoni Imperatori, atque Iohanni 13 pontifici familiariter innotesceret, à quibus aliquoties literas accipiens, iisdem de rebus arduis rescripsit, & suam sententiam aperuit. Postea etiam Romæ apud Leonem Pontificem fuit atq; cum eo Ecclesiæ negotia disposuit. Habebat etiam eam authoritatem, ut omnes in nouarum Ecclesiarum dedicatione eius opera uti optarent. Itaq; factum ut 122 templa inaugurarit. Quamuis autem talis esset, nihilominus tamen modestissime uixit, atq; se nomine & non re Episcopum uocauit. Cum hoc modo per quatuordecim annos magna laude suam gregem administrasset, tandem anno noningentesimo septuagesimo tertio obiit, atq; Baldonem successorem habuit. Anon. in Episcop. Argent.